

vires; figuræque juvenis ornatur. postea ejus atas statuitur plenissima effigie barba, solsticio æstivo, quo tempore summum sui consequitur augmentum. Exinde per diminutiones veluti senescenti quarta forma figuratur. Plura de hujusmodi stationibus dicemus, 21. Martij, à n. 2.

Osium Orphei translatio.

20 Ossa Orphei detecta, atque translata in Dion montem Macedoniae, singulari prodigio. Nicander Colophon. in Thracia, 2: Interfectus fuit in Bacchijs à foeminis, & caput ejus projectum in mare, cum lyra æstu pervenit in Lesbium: membra verò ejus, ut à canibus vorarentur juxta flumen Hebrum sparsa per agros: sed tamen à Musis dicuntur fuisse collecta, & honorificè sepulta. Natal. Comes, 7. Mytholog. cap. 14. & Ovid. 11. Metamorphos. fab. 1. Prodigia modo effutiuntur in honorem hujus celeberrimi Magi. Juxta Dion columna est; superimposita columna (ait Pausan. cap. 302.) lapidea urna: in ea Orphei ossa condita esse incolæ dicunt. Diversum sermonem Larissa audivi: scilicet, urbem olim in Olympo celebrem, Libethram nomine, fuisse, quæ mons in Macedonia se immittit. Ab ea urbe non longè Orphei monumentum abesse. Libethrijs olim è Thracia, à Liberi-Patris oraculo responsum allatum; à sue urbem deletum iri, cum primum Orphei ossa Sol aspexisset: de hoc illos oraculo sollicitos esse oportere, se nihil putasse; quod nullam omnino feram, vel tantam, vel tantis præditam viribus existere posse crederent, qua urbem ejusmodi posset excindere. Atqui ubi Dijs visum est, hæc acciderunt. Pastor quidam merulie recubuit fessus ad Orphei tumulum. Is cum forte somno se dedisset, in somnijs cepit Orphei versus magna & suavi voce decantare. Ea voce qui proximis locis vel pascebant, vel forte arabant, commoti; intermisso opere, ad illam dormientis pastoris cantinellam accurrerunt. Ibi cum alter alterum trudentes, dum proximè quisque ad pastorem certant accedere; columnam everterunt: ea ruente, fracta est urna: quo factum ut Orphei ossa Sol aspiceret. Ea deinde qua insecta est nocte, ingenti aqua vi de caelo effusa, Sus annis (unus hic est de Olympi torrentibus) Libethriorum muros dejecit, sacras & profanas ades evertit, homines & animalia cuncta, quæ intra mœnia, extinxit. Deletis ergo Libethrijs, Macedones, qui Dion tenebant, Orphei ossa translata sibi vindicarunt. Refert eadem Majolus, 2. Diar. Canic. Colloq. 2. Eo in loco erecta Orpheo statua, quæ in expeditione Alexandri adversus Perias, sudavit. Pier. Valer. lib. 52. cap. 8. Diximus, 11. Januar. n. 5. Habitus statuæ Græcus est: nam neque vestimentum, ne-

Eorum urna in columna collocata.

Oraculum Liberi-Patris de Orbe Libethra

Stropha de Orphei ossibus.

Statua ei in monumento erecta.

Ejus imago.

que capitis integumentum, aut quicquam Thracum præ se fert. Ipse arboris trunco acclinis est, læva citharam contingit, altera salicis frondes. Pausan. cap. 347.

21 Inter Ægyptios recolitur Ingressus Osiridis in Lunam. Athanas. Kircher. in Roma Chronica. ad Ægyptior. festa die 2. Mensis illis septimi, Phamenoth (qui nobis Februarius) incipientis die 25. Idem Plutarch. de Iside & Osirid. Quid sit, diximus die 1. n. 22. Indicabatur per Lunæ illustrationem (quam dicebant Iudem) proximam ex vere telluris fecunditatem. Ubi verò sacrificiarum conveniunt (inquit Herodotus, 2. num. 18.) noctu sub dio universi circum domos frequentes lucernas accendant, imbutas sale, & oleo plenas, cum multo lychno, quod tota ardet nocte. Festo nomen impositum est, Accensio lucernarum. Ad hunc conventum; quicumque Ægyptiorum non ierint, observantes sacrificij noctem, & ipsi universi lucernas accendant: & ita accendantur lucerna, ut non solum in Sai modo, ubi cætus; sed etiam per universam Ægyptum.

Osiridis ingressus in Lunam.

Accensio lucernarum, & Ægyptii illuminationatio.

Finis anni apud Mexicanos.

22 Die 26. Februarij, inter Mexicanos est finis anni. Acolta 6. Histor. cap. 2. & Kircher. in Theatr. Hieroglyph. cap. 4. Tunc enim sollicitè operabantur, quæ præmissimus, die 1. Januar. n. 25. & dicemus die 31. Decembr. Etiam apud Ammonitas circa anni finem celebritas Deo nationis proprio, juxta montem Gebal. Reuclin. Quæle numen non signat, sed 3. Reg. 11. 5. constat fuisse Moloch, apud Gentes Saturnum; de quo fusè, 19. Decembr. à n. 2. de Idolo, ait Benjamin in Itinerar. pag. 35. Hinc uno itinere Gebal distat, altera illa, quæ siliorum Ammon terminus fuit. Repertus est illic locus templi antiqui siliorum Ammon, in coque idolum illorum; sella quæ solium dicitur, insidens. Simulacrum autem ex lapide est, auro obductum: utrinque verò duo feminea simulacra etiam sententia: ante ipsum verò ara, in qua Ammonitarum tempore sacrificia & suffitus fiebant. An ab Ammonis filijs, inter Ægyptios dictus Jupiter Ammon, nescio: de illo die 30. à n. 17. & 21. Mart. à n. 1.

Idoli Ammonitarum imago.

23 Eodem die, uti refert Callisthen. in Alexandr. histori. venerantur Indi in colle sapientiam Minervam Poliadem, Apollinem Delium, & Bacchum; in quorum templi ambitu sunt gemina dolia: unum imbrivum, alterum ventorum. Is quidem qui dicitur esse imbrivum, ubi nimia siccitate India premitur, si fuerit apertus; nebulas emittit, quæ universam terram humectant: sin vero nimia fuerit pluviasidem occulsi-

im-

imbres cohibet. Alterum autem qui ventorum esse dicitur, idem facit quod utres Æoli facere perhibentur. Adaperto enim dolio, ventus regionem perflat; unde & salubritas in terra gignitur. Eadem in Indicis, apud Ctesiam, & Philostrat. 3. de Vita Apollon. cap. 3. qui addit: Magos Indorum in colle Sapientium creditur medium India colere; eorumque tumulum, quasi umbilicum esse. Unde ab eodem sacrum ignem capiunt, quem sese à solis radijs accepisse gloriantur; atque ob ejus rei memoriam, hymnum iugiter ad meridiem usque decantant. Qua de causa ipse Apollonius, apud eundem, cap. 4. dixit: Vidi Indios Brachmanes in terra habitantes & non in terra. Vah! Causam signat ibidem, sophistice.

Sacer ignis

Flaminis astus in luxuriam.

24 Embolium cujusdam Flaminis Saturnalis hac die patuit in ejus mortem. Rufin. Histor. Eccl. lib. 2. Hic Alexandria in templo Saturni, quasi ex ore Dei poscebat uxores civium speciosiores: & ne fucus cognosceretur, in vacuum penetrale consentientibus viris, inducebat foeminas, & clavem, cum in onanium conspectu conclave observaret, tradebat conjugibus. Post nocte concubia per cuniculos intra simulacrum Saturni concavum, & parieti intime annexum, cum electa è simulacro loquebatur. Deinde artificio quodam lucernis extinctis ad illam quasi Numen descendebat. Idem contigisse in templo Isis Romæ imperante Tiberio, diximus, 7. Januar. n. 19.

DIES XXVII. FEBRUAR.

III. K.

I Grad. 7. Solis in Piscibus, in quo juxta Ptol. Malus Argos totus occidit vespere. Egimus d. 18. Sub hoc nati terræ vel mari lacerabuntur à bestijs. Firmic. Extremum ala sinistra Virginis vespere oritur. Junctin. K. A. Vir manu nolam habens. Sphær. Arab. Mors Seth in fine anni præfinitur à Torniello in Tabul. Ann. 1042. Vide 15. Jul. n. 1. Plaga quarta ob proterviam Pharaonis Ægypto immittitur, muscarum scilicet, quæ alis striderent, proboscide pungerent, & contactu cuncta conspurcarent. Perer. in 7. Exod. disput. 12. n. 69. Muscam caninam, quæ dicitur Cynomya, aut Cynomyia, emissam dicitur Psal. 77. 45. & 104. 31. & Histor. Scholast. cap. 18. Varias & multiformes bestiolarum species, quarum veneno infecti, plurimi extinguebantur; dicit Joseph. 2. Antiq. cap. 5. à sacro textu Musca gravissima. Exod. 8. à 24. Hac plaga concessit Pharo Hebræis, sacrificium,

Quarta Ægypti plaga.

Dolia ventis & pluvia.

sed in Ægypto: cui Moyses respondit: Abominaciones Ægyptiorum immolabimus Domino: Id est, idola, quorum sacrificium abominabile Ægyptijs est; qua de causa, si viderint, lapidibus obruent nos expeditionis hujusmodi duces. Pro Numinibus enim Ægyptij habebant quicquid gratum Domino in sacrificia: taurum colebant nomine Apis, vacam pro Iside, arietem pro Amnone, hircum pro Pane, columbam pro Venere; & sic alia, de quibus nos usquequaque.

Victimes: rælitantur cur dicuntur abominaciones Ægyptiorum?

2 Postquam tanquam à subditis intus receptus mutilus Adonibezech quod intenderunt filij Judæ, ut facilius Jerusalem cederent cives, furiosè restiterunt. Verùm tenaciores hostes illam expugnaverunt, igni tradiderunt, cunctosque cives percusserunt in ore gladij. Eodem tempore, quia ad tribum pertinebat pars civitatis, idem fecerunt Benjaminitæ. Judic. 1. 21. ex quo oritur Antilogia duplex. Prima, quare Jerusalem dicitur sortis Judæ, & simul sortis Benjamin: Quam quidem diluimus in nostris Tautologijs, afferentes civitatem sanctam esse in confinio utriusque tribus: Judæ ex latere meridiano. Josue 15. 8. Benjamin, ex Aquilonari; ut patet ibid. 18. 28. Aliter expositio non incongruè Torniell. An. 1594. n. 9. Benjaminitas non ausos delere Jebusæum de Jerusalem, vocasseque socios ex tribu Judæ, qui simul oppugnaverunt civitatem, sed inferiorem; minime superiorem, scilicet arcem in monte Sion, quæ inaccessibilis, ac inexpugnabilis, usque ad Davidis temporas ut dicemus 25. Maij, n. 2. Refert Joseph. lib. 5. Antiq. cap. 2. Hierosolyma sunt adorti, & capta inferiore ejus parte, omnes habitatores contrucidarunt: at superior, natura loci & munitionibus est defensa. Per hoc constat expositio secundæ Antilogiæ: scilicet quomodo filijs Judæ vastantibus urbem; de illis dicitur Josue, 15. 63. Jebusæum habitatorem Jerusalem, non potuerunt filij Judæ delere: habitavitque Jebusæus cum filijs Judæ in Jerusalem usque in presentem diem. Videlicet, in Monte Sion, quia pars plana civitatis jam expugnata, & extra ditionem Jebusæi.

Antilogia duplex.

Expugnatur Jerusalem, que in parte plana.

3 Ab hujusmodi expugnatione decursis annis 73. cum post triduum comitorum consilium Roboami expectaretur ab universo Israël (uti diximus die 24. n. 4) nec ad placitum, nec ad justum Rex responderet, uti stultus, & insolentia Solij motus, & consilio adolescentium sine judicio nec experientia tractus; maximè instantia cujusdam Adura, præpositi filci, ut dicunt hic Hebræi

Roboamus imprudentia amittit decem tribus Israel in regimen

in